



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 134. Quid sit contractus usuræ, & in quo consistat ejus iniquitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

## A D D E N D A.

- 846 Q. 134. Quid sit contractus usurae, & in quo consistat ejus iniquitas. R. §. 1. Usura sumpta pro lucro rectè definitur à *Busenb.*; sed sumpta pro contractu definitur, contractus mutui, in quo ex stricta obligatione redditur aliquid temporale & pretio æstimabile ultra sortem, præcisè ratione mutui. Prohiberi autem illam jure humano, divino & naturali probat *Sporer* t. 6. c. 4. à n. 110. Nec posse concedi jure civili, latè ostendit *Gasp. Roder.* de ann. rediv. l. 3. q. 4. à n. 71.
- 847 §. 2. *S. Th.* opusc. 73. c. 7. ait, *Usura in mutuis vitium est, quia corrumpit liberalitatem, cujus est mutuum dare gratis.... Corruptit etiam debitum finem, quia accipitur spe lucris: Iniquitas autem sive injustitia illius in eo consistit, quòd mutuans capiat lucrum ex re aliena, nam mutuum est res mutuatarium & non mutuarium, uti n. 837: dictum est, hinc usuram vocat rapinam *S. Ambros.* Cap: *Si quis.* 14. *Quæst.* 4. & *S. August.* Cap. *Quid dicam.* ibidem, vocat truncidationem pauperis. *Si dicas,* concedens solum usum rei v. g. elocatae, potest pro eo aliquid accipere, ergo multò magis concedens etiam dominium. R. N. conseq., concedens dominium non potest negare usum, quia res fit alterius, & consequenter etiam omnis ejus usus, ergo mutuans ex vi usûs nihil potest accipere; sed nec pro dominio, quia postea recipiet æquivalens: è contrà elocans aut per similem contractum concedens solum usum manet dominus rei, & cum res fructificet domino suo, hæc illi affert tale commodum ex usu: hinc *S. Th.* 2. 2. q. 78. a. 1. ad 6. dicit, si quis pecuniam peteret ab altero, non ad  
expo-*

exponendum, sed ad solam ostentationem, aut loco pignoris, non fore usuram pro illo usu aliquid accipere, quia esset veluti locatio vel commodatio, & pecunia haberet se tantum veluti alia supellex permanens concessa ad ornatum vel securitatem, uti notat *Carden.* in 1. crisi. d. 63. n. 117., quamvis adhuc putet *Palav.* l. 4. n. 144. fore in hoc aliquam injustitiam, quia utilitas, quæ Commodatario provenit, non est ex natura pecuniæ, sed ex aliis circumstantiis pertinentibus ad ipsam personam commodatarii, adeoque hæ non erunt pretio vendibiles à commodante; deinde etiam, quia per talem usura nihil decedit de valore vel pretio pecuniæ, nec commodans ideo patitur ullum incommodum, uti supponitur.

*Q. 135. An in usura detur parvitas materiae. R. 848*  
 Dubitarunt aliqui apud *Dian.* p. 5. t. 5. R. 30., quia quidquid etiam minutissimum accipitur supra sortem est usura: sed ratio ista nulla est, sicuti enim quidquid accipitur invito domino est furtum, sed non ideo grave, ita licet omne, quod accipitur supra sortem, esset usura, non ideo esset gravis, itaque dicendum cum *Lugo* d. 25. n. 252. aliisque passim dari in ea parvitatem materiae, si nempe sit injuria levis seu leviter tantum damnosa.

*Q. 136. An aliquando sit obligatio gratis dandi mutuum. R. 849*  
 Affirmativè, & quidem etiam cum periculo fortis, nam Charitas sæpe obligat ad eleemosynam, quæ res propria donetur sine spe quidquam recuperandi, uti dictum est l. 2. n. 200. & 207., ergo magis ad mutuum cum spe recuperandi sortem, hoc enim est minus. Et id videtur